




18

440

DE
HOMICIDIO PRODITORIO

DISSERIT



ET


944.
SACRA PASCHALIA

INDICIT


10. CHRIST. ESCHENBACH,

I. V. D. ET P. P. O.

ACADEMIAE RECTOR.



ROSTOCHII
LITTERIS ADLERIANIS.



DE
HOMICIDIO PROBITORIO

DISSERT



ET


SACRA PASCHALIA

INDICIT


IO. CHRIST. ESCHENBACH

M. D. C. C. C. C.

ACADEMIAE RECTOR




POSTORIUM
LITTERIS ADRESARIIS



DE

HOMICIDIO PRODITORIO.



§. I.



Negari nequit, complures difficultates, in interpretatione iuris criminalis obuias, ex lege ipsa, quam potissimum sequimur, Constitutione nimirum Criminali Carolina, originem trahere. Quis enim est, qui, dum studium Imperatoris et Statuum Imperii, abusus iudiciorum criminalium corrigendi, debitis extollit laudibus, non simul ingenue fateatur, legem hanc, tunc temporis licet saluberrimam, maximis adhuc laborare naeuis, ex indole seculi, quo condebatur, deriuandis, atque doleat, postea correctiones declarationes et supplementa necessaria haud accessisse. Attamen non minus certum est, difficultatibus istis, quae legi ipsi nata-

les debent, multas adhuc a Doctoribus superadditas esse, ex sinistra interpretatione profectas. His etiam annuero doctrinam *de homicidio proditorio*, de qua nunc agere constitui. Quum praeter LEYSERVM in *Spec. 605. de homicidio insidioso*, qui pro instituti ratione non omnia huc spectantia tetigit, et WUESTNERVM in *diss. de homicidio proditorio a)*, cui conquirendae ego hucusque operam frustra impendi, et plurimi lectorum procul dubio aequae frustra impendent, nemo, quantum quidem mihi cognitum est, hoc thema peculiari pertractatione illustrauerit, haud superfluum visum est, ea, quae passim inueni, congerere et sub examen vocare.

a) Allegatur haec dissertatio, Ingolstadii habita, in SCHOTTII *supplementis ad bibliothecam Lippenianam pag. 228.*, sed deficit annus, quo edita est, alias semper addi solitus. Colligo exinde, editorem eiusque adiutores ipsam dissertationem pariter non vidisse, sed alicubi tantum laudatam inuenisse: quo casu mirum non foret, eam in his regionibus raro occurrere.

§. 2.

Cuncta, quae de hac homicidiorum specie in auctoribusprehenduntur, ad duo capita referri possunt, notionem eius scilicet, et poenam ordinariam. Quantum ad prius attinet,

I.) CARPZOV in *pract. rer. crim. Qu. VII. nr. 21.* illud proditorium vocat, quod nulla prorsus causa vel inimicitia praecedente committitur: exemplum subiungens, si veniens cum Titio, tanquam socius itineris, nulla interueniente causa vel rixa, illum percutiat. Hanc definitionem licet recentiorum plurimi suam haud fecerint,

fecerint, inter alios tamen adhuc probat BERGER in *elect. iurispr. crim. Cap. 2. membr. 3. §. 6. pag. 98.*

II.) Alii denominationi conformiter essentielle in eo quaerunt, quod quis se amicum eius, quem postea occidit, fingat. Sic HELLFELD in *iurispr. for. §. 2051.* proditorium vocat, *quod sub tegmine simulatae amicitiae praemeditato animo fit:* et KOCH in *instit. iur. crim. §. 455.* illum homicidam proditorem dicit, *qui eum, quocum familiariter versatur, ex deliberato animo et protervia interimit.*

III.) Alii fundamentum distinctionis in insidiis structis b) ponunt. Ex his ENGAVIVM in *elem. iur. crim. Part. I. §. 413.* qui quodvis homicidium per eas insidias factum, quae praevideri et praecaveri non potuerunt, hoc nomine intelligit, QVISTORPIVM in *den Grundsätzen des peinl. Rechts §. 221. et 251.* et BEYERVM in *position. ad. C. C. C. art. 137. §. 11. (add. art. 42. §. 10. et art. 124. §. 7.)* laudasse sufficiat.

IV.) Sunt, qui utrumque coniungunt. KRESS ad *art. 124. §. 4.* hoc cognomine insignit homicidium per insidias ab eo factum, qui simulabat amicitiam, nullo praecedente rumore; et licet MEISTER in *princ. iur. crim. §. 83.* definitionem exhibeat, *quod fiat deliberato c)* et ex mera protervia, maxime per eas insidias, quae praecaveri non facile possunt, adeoque ad praecedentem potius classem pertinere videatur, subsequenti tamen §. statim addit, hoc crimen etiam committere, *qui sub ficta et simulata amicitia aliquem, v. g. socium itineris, hospitem suum, vel alium, quocum familiariter utuntur, nefarie interficiunt d).* Hanc sententiam quoque ample-

xus est BOEHMER in *Obs. ad Carpzovium Qu. VII. et in Med. ad C. C. C. art. 137. §. 23. e)*

V.) Inimicos homicidium proditorium haud committere, licet insidiis utantur, monuit KRESS *l. c.* Contrarium tuetur BOEHMER in *elem. iur. crim. Sect. II. §. 232.*

VI.) Tandem nec desunt, qui distinctam notionem homicidii proditorii, cuius alias meminerunt, studio omisisse videntur: quorum refero PVEITMANNVM in *elem. iur. crim. §. 29.* forsitan illis quoque accenferi posset LEYSER, *l. c. f)*


- b) Qui insidias vel solas vel simul cum simulatione amicitiae requirunt, hoc homicidium etiam *insidiosum* vocare solent: sunt tamen, qui utrumque adhuc distinguunt. Singularis profus est doctrina SCHAUMBURGHII in *annot. ad Struuium Lib. III. Tit. 28. apb. 30.* qui qualificationem et insidiosum synonyma existimat.
- c) Plurimi, uti ex adductis quoque apparet, animum necandi praemeditatum supponunt: alii vero homicidium proditorium ex impetu et calore iracundiae proficisci posse, non negare videntur.
- d) Si inscriptionem capituli *de homicidio proditorio GENERATIVIM* et conspectum in fronte compendii praemissum spectes, ubi beneficium et assassinium homicidio proditorio subordinata sunt, vero videtur simile, MEISTERVM haec, tanquam species, sub illo comprehendere voluisse, quod et ENGAV §. 413. fecit.
- e) MEISTER *l. c. §. 84.* huic homicidiorum classi ea quoque annumerat, quae *clam et latenter* perpetrantur; et BOEHMER *l. c.* illa, quae *retrosum et in tenebris* committuntur.

f) *Cont.*

f) *Constitutio Criminalis Theresiana*, sub finem anni 1768. publicata, quae quidem extra territorium auctoritate legis destituitur, quam tamen illustrationis causa consuluisse saepius non poenitebit, diuersas has Doctorum opiniones ita conciliauit, vt criteria, a singulis in medium prolata, non modo cuncta prober, et in vnum collegerit, sed etiam casum adhuc addiderit, si quis alienum infantem trucidet. Sic enim *Art. XC. §. 4.* sanxit: *Der Muechel-mord beschiebet, wenn wer heimlich, oder durch eine Hinterlist, die nicht leicht vorzusehen und auszuweichen ist, oder vnter Liebkosung und Schein der Freundschaft jemanden, der sich dessen nicht versiehet, boshaft und verrätherisch umbringet. Vnd dieses ohne Vnterschied, ob solche Vurthat aus Rach, Haß, Feindschaft, Frevelthat, Muthwillen, oder auch ohne Vrsach, jedoch boshaft und vorsetzlich, vnternommen worden sey. Worunter denn insonderheit diejenigen Manns- oder Weibspersonen oder Dienstleute gebörig, welche entweder aus einer gegen den Eltern tragenden Rachgier, oder aus sonst einer Vrsach sich an vnschuldigen fremden Kindern vergreifen und dieselben errüden,*

§. 3.

Tanta quidem non est ratione poenae ordinariae diuersitas, quum duae solum opiniones sint, quarum alterutram omnes eligant: neque tamen in ea stabilienda hucusque consenserunt. Praemitti solet plerumque adhuc quaestio, num homicidium hoc, quod proditorium appellant, ad simplicia an ad qualificata referendum sit. Simplicibus illud accensent KOCH et PVEITMANN *ll. cc.*, inter qualificata collocatur a BOEHMERO et MEISTERO, *ibid.*, et, qui mordra ab aliis qualificatis adhuc distinxit, QVISTORPIVS *c. l.* illud mordris annumerat. Qui homicidium hoc simplex esse statuunt,



statuunt, aliam, quam gladii poenam, admittere nequeunt: ex illis contra, qui qualificatum illud praedicant, alii poenam rotæ dictitant, BOEHMER *l. c.* alii, ad usum fori legi contrarium provocantes, gladium sufficere iubent, MEISTER §. 85. §)

g) Quae hucusque exhibui, asserta Doctorum in compendiis iuris criminalis, commentationibus in C. C. C. et tractationibus, omnem ambitum huius partis iurisprudentiae amplectentibus reperiuntur. E contrario in collectionibus decisionum et responsoꝝ, quatum sat multas evolui, nihil plane reperi, quod in usus meos convertere potuissem. Haud rara sunt exempla homicidiorum sine omni causa commissioꝝ, quae ex opinione Carpzovii ad proditoria referenda forent: ast quoniam omnes fere recentiores Juri à Carpzovio discesserunt, nec haec homicidia proditoris annumerant, nihil quoque in huiusmodi casuum expositione deprehendi, quod ad uberiorem thematis explicationem proficeret. Pariter non desunt decisiones in causis homicidiorum, quae obiter et incidenter proditoria appellata sunt: sed nullam reperi, ubi haec qualitas praecipuum sententiae fundamentum fuerit, aut poenae gradum determinaverit. Sic, ut e pluribus exemplis vnicum adferam, in MEISTERI *Erkenntnissen und Gutachten in peinl. Fällen, Part. I, Dec. 32.* exhibitur homicidium, quod nr. 24. proditorium nuncupatur, verum in transitu hoc obseruatur, nec verbum amplius de hac qualitate additum est.

§. 4.

Succincte expositis iis, quae in scriptoribus iuris criminalis de homicidio proditorio traduntur, iam dispicendum erit, cuius assertio reliquis praeferenda sit. Et quum cetera potissimum a recta et certa notione huius homicidii pendeant, primaria cura in eo ponenda

ponenda est, vt curatissime definiamus, *quid sit homicidium proditorium*. Sed penitus hanc materiam ponderanti illico apparebit, fundamentum firmum atque certum, cui responsio ad hanc quaestionem superstrui posset, plane deficere. In Nemesi Carolina nec nomen *homicidii proditorii*, aut si mauis, *insidios*, nec res ipsa commemoratur. Mentio quidem fit proditoris in *art. 42. et 124.* sed hoc delictum ab homicidio sic dicto proditorio tam ratione notionis quam ratione poenae longe distat; vnde etiam factum est, quod nemo eorum, qui de homicidio proditorio agunt, ex his articulis argumenta duxerit. Pariter nec Ius Romanum, si in subsidium illud vocare velis, huic doctrinae fauet, quum ibi etiam nulla homicidii species cognomine proditorii aut insidiosi distincta sit, aut alia dispositio inueniatur, quae separationem illius a reliquis suadeat: certe nemo eorum, qui explicationem huius homicidii susceperunt, textum iuris Romani allegauit, nec in titulis, quae ad Legem Corneliam de sicariis pertinent, quidquam, quod huc vlllo modo trahi posset, deprehendi, nec tandem ICTIS, qui Ius Romanum purum exhibent, haec distinctio cognita est, v. ECK *princ. iur. ciu. Libr. XLVIII. Tit. 8. §. 2. sq.* WESTENBERG *in principiis iuris, eod. tit. §. 1. seq.* Assentiri igitur nequeo BOEHMERO, *in elem. iur. crim. l. c.* afferenti, homicidas proditores olim sicarios nominatos fuisse. Quod si, deficiente legis dispositione et argumento, cognomen pro basi habere velis, iterum determinatu difficile erit, num proditorium potius dicendum sit an insidiosum: me saltem ratio fugit, quae hanc litem certo dirimere posset, nisi sufficiat, hoc homicidium a plurius proditorium nuncupari. Et licet alterutrum eligas, nondum tamen

B

diffi-



difficultates sublatae erunt. Insidiarum enim denominatio adeo late patet, ut complures comprehendere possit casus, quos nemo duriori poena coercebit. Et proditoris priuatae notio aequae vaga atque incerta est, ac homicidii proditoris *b)*. Accedit, quod omnis ratio sufficiens desit, cur in homicidio ex insidiis vel prodicione illud concomitantibus differentiam elicere velimus, quam in reliquis delictis negligimus; sic v. c. hucusque nemo incendium proditorium a reliquis incendiis distinxit. Confiteri itaque oportet, *definitionem homicidii proditoris arbitrariam esse*. Incommodum quidem exinde oritur, quod cuiuslibet liceat, eam pro lubitu formandi et definitioni iam immiscendi, quae postea inter requisita speciei recensere cogitat, verum iusta causa non adest, hanc licentiam reprehendendi, nisi a semita veritatis desistere, aut auctoritati cuiusdam ex supra nominatorum numero Icti tantum, ut eius nomen effato praerogatiuam conciliet, tribuere nobis permittimus credamus.

b) Si cui hoc effatum dubium videatur, legat ipse, quae de isto crimine, merito a multis iam omisso, tradiderunt BEYER in *Posit. ad C. C. C. art. 38-44. tit. 10.* KRESS in *Comm. ad C. C. C. art. 124.* et BOEHMER in *Obs. ad Carpz. qu. 122. Obs. 8.* et in *Med. ad C. C. C. art. 124. §. 2.*, atque dispiciat, num sibi luculentam illius notionem formare possit, et illam eiusque poenam ex legibus deducere atque defendere audeat.

§. 5.

Neque felicior eris, si ex diuersa poena diuersitatem homicidii proditoris a reliquis eruere credas, Duplex est poena, quarum alteru-

alterutram eligendam esse, omnes consentiunt, gladius nempe aut rota: sed utraque huic homicidiorum speciei propria esse nequit. Prior ex praescripto *art. 137. C. C. C.* in quovis homicidio ex impetu commissio obtinet, posterior in omni homicidio praemeditato irroganda est. Qui in definitione homicidii proditorii iam precario supponunt, illud semper deliberato animo committi, et rotae poenam in quovis homicidio praemeditato defendunt, facili negotio concludent, illam hic etiam adhibendam esse: sed nec habebunt, quod illis opponant argumentum, qui notionem ita formant, ut pro circumstantiarum varietate modo ad praecipitatum modo ad praemeditatum homicidium referri possit ⁱ⁾, nec quidquam ad stabiliendam atque illustrandam notionem delicti inde elicient. Par est ratio eorum, qui gladii poenam dicitant, quoniam et hi, principii ab aliis reprobatis innixi, adversarios resellere et convincere haud valebunt, et in hoc poenae genere praesidium distinctionis haud inveniunt.

i) Primo intuitu quidem dubio carere videtur, homicidium proditorium sine praemeditatione non dari, quum sine proditionem sine insidias requiras, haec sine deliberatione adesse nequeant. Sed re curatius pensitata aliud statuendum videtur. Utrumque enim tam praecipitatum quam praemeditatum ex proaeresi proficitur: adeoque deliberationem, quamvis gradu diversam, supponit. Et licet in priori homicida crimen antea haud decreverit, sed excaescente affectu eo prolatur; nihil tamen impedit, quo minus et in hac animi perturbatione ad insidias confugere et reconciliationem simulare possit. Minus adhuc dubii suberit, si illud homicidium proditorium nomine, quod clam, latenter, retrorsum et in tenebris committitur. In eo tantum casu praemeditatio vix abesse potest, si quis nulla praecedente causa vel rixa perimitur.

Maiores adhuc trices se implicant, qui in quaestione subsistunt, num homicidium proditorium ad qualificata an ad simplicia pertineat: non minus enim haec distinctio et legibus contrariatur et obscuritate sua laborat. Qualificata vulgo dicuntur, *quae grauiora sunt vel ratione modi et personae, vel etiam*, quod alii adhuc addunt, *ratione causae temporis et loci*, MEISTER §. 74. QVISTORF §. 221. PVETTMANN §. 278. *h*). Sed egregie falleris, si hac descriptione distinctam notionem te accepisse credis, quum simulac viterius consequentia inde ducenda sit, omnia incerta euadant. Consulta, quaeso, auctores hanc distinctionem exhibentes super modo, qui homicidium in qualificatum vertit, (proditorium enim ita a simplici differat, necesse est, quum reliqua haud quadrent,) et luculentam expositionem eius nullibi inuenies. Quam ratione vero diiudicabis quaestionem antea propositam, si nescias, quis sit ille modus, qui delictum eoque aggrauat, ut in classem qualificatorum transeat. Si interim, principii quadam petitione seductus, tibi persuadeas, homicidium proditorium qualificatis esse annumerandum, et proditorem, insidias, proteruiam sine omni causa ad necem propterantem, esse modum illum, qui crimen grauius facit, distinctionem ipsam tamen legi haud conuenire, in aprico est. Duo tantum genera homicidii dispescit *art. 137. C. C. C.* praecipitatum foelicet et praemeditatum, duo tantum poenae ordinariae *l*) genera illis conuenientia proponit: et ubi qualitas personae necatae, vel nexus peculiaris cum defuncto delictum grauius reddit, exasperationem praecipit: quae omnia cum distinctione vulgari *m*) conciliari neque-

nequeunt. Optimo iure igitur factum est, quod KOCH §. 436. 455. 456. et PVEITTMANN §. 278. 291. 292., licet distinctionem ipsam ex placitis aliorum adhuc explicent, eam tamen neglexerint, ubi poena homicidii dolosi definienda erat: et HELLFELD §. 2050. eam penitus omiserit n).

k) CARPZOV *Qu. 1. nr. 13. 14.* ad qualificata homicidia praeter proditorium, patricidium, assassinium, veneficium et latrocinium pertinere asserit omnia homicidia ex proposito et anime deliberato commissa: quam explicationem si probes, simplex et qualificatum homicidium idem foret, quod praecipitatum et praemeditatum. Sed ipse, doctrinae suae immemor, in *Qu. 7.* ab hac sententia recessit: et postea semper his denominationibus alius significatus tribui solitus est.

l) Qui huic distinctioni regulam subiiciunt, in quovis homicidio simplici poenam gladii, rotae vero in qualificato obtinere, minus adhuc reprehendendi sunt, quam qui, retenta distinctione, in qualificatis non semper duriolem poenam statuunt. Sic, v. c. MEISTER §. 74. 85. 108. patricidium et homicidium proditorium inter qualificata recitat, et nihilo tamen minus gladii poenam obtinere contendit. Cui vsui erit distinctio, si discrimen poenae tollatur? Et quam parum sibi constet, haec homicidia esse simplicibus grauiora, et nihilo secius eadem poena coercenda.

m) Ipsa verba *art. 137.* quum vnicus sit, qui ex C. C. C. decidendis his contouersis inferuire possit, adscribo: *Item eyn jeder Mörder oder Todtschläger, wo er deshalb nit rechtmäßig entschuldigung ausführen kan, hat das Leben vermirkt. Aber nach gewonheyt etlicher Gegent werden die fürsetzlichen Mörder vnd die Todtschläger eynander gleich mit dem rath gerichte, darinnen soll vnterschydt gehalten*

halten werden. Und also das der gewonbeyt nach eyn fursetzlicher muthwilliger Mörder mit dem rath, und eyn ander, der eyn rodtschlag (oder) auß gecheyt vnn Zorn gethan, vnn sonst auch gemelte entschuldigung nit hat, mit dem Schwerdt vom Leben zum todt gestrafft werden sollen. Und man mag in fürgesetztem Mordt so der an hohen treflichen personen, des thätters eygen Herrn, zwischen Ebleuten oder nabendt gesippen Freunden geschicht, durch etlich leibstraff, als mit Zangen reissen oder ausschleyffung vor der endlichen Tödtung, um grösser Forcht willen, die straff mehren. Si quis sit, qui illum homicidam proditorem nominare velit, qui dominum suum, coniugem, parentes, ad quorum vitam defendendam peculiariter obligatur, trucidauit, ex hoc articulo argumentum in contrarium deriuari potest, quum hoc casu non commutatio poenae ordinariae sed eius tantum exasperatio, saluo poenae genere, sancita sit.

- n) Magis lubricum adhuc est argumentum, quod pro tuenda hac distinctione ex notione *mordri*, antiquis Germaniae populis vltata, depromunt nonnulli: quis enim est, qui hanc notionem veram atque vniuersalem probet. Hoc loco huic argumento immorari nequeo: vt autem paucis commonstrem, quanta circumspectione opus sit, breuiter quantum fieri poterit, ea sub examen vocabo, quae *QVISTORPIVS in den Beytragen zur Rechesgelartbeit, Part. 1. Obs. 7. pag. 102. sq.* hanc in rem adducit. Duo laudat loca iuris Germanici antiqui, vt argumento huic fidem conciliet. Prior, ex *Glossa ad Ius Prov. Sax. Libr. 2. Tit. 13.*, huius tenoris esse dicitur: *Die Leute um Geld und mit wohlbedachtem Muth ermorden, sind rechte Mörder.* Nescio, num in aliis editionibus, praecipue in GAERTNERIANA, quam nec ipse possideo, nec in amicorum bibliothecis inueni, Glossa haec ita habeat: *mih iam ad manus est editio BENNONIS DE HEYINITZ, vbi glossa: Alle Mörder etc. Wer dat tödtet, der ist ein Mörder, vt 23. q. 5. c. 5. c. de occidendis.*
- Die

Die ein Mann, etc. Nie sollt du wissen, das Morden dreyerley vnterscheid bat. Etlicher tödt den andern vmb seines Guts willen, von geuaten mut, diese seind mörder. — Etlicher schlecht den andern durch vnfriedes willen zu tod, — Etlicher tödtet aus ungeferde — rel. Sed sit, quod glossa quaedam loco aliquo ea tradat, quae QVISTORPIVS transcripsit: salua tamen adhuc res est. Si enim vocem vnd copulatiue intelligas, solum Iatrocinium et assassinium, respectu assassini, mordri nomine continetur; sin, quod vsui loquendi et ipsi textui conuenientius est, disiunctiue explicatur, omne homicidium praemeditatum huc pertineret: quorum neutrum neque cum notione vulgari homicidii qualificati, neque cum notione mordri ab *Auctore*, l. c. (vid. §. 3.) proposita consonat. Alterum locum, ex *Statutis Otterndorfenensibus apud PVENDORFIYM in app. Tom. II. Obs. Iur. Vni. pag. 181.* excerptum, integrum hic inferere superfluum duco. Partim enim, vti quemlibet inspectio horum statutorum edocebit, sicarios — liceat hoc verbum loco vocis germanicae *Mörder* substituere, — distinguunt quidem ab homicidis dolosis, (*muthwilligen Todtschlägern*.) sed quis sicarius nominendus sit, non explicant, adeoque ad illustrandam notionem et corroborandam hypothesin frustra allegantur. Ad classē homicidarum, si locum sat obscurum recte intelligo, illos porro referunt, qui viam obsidentes vel stricto ense alterum aggredientes ipsi mortis suae occasionem praebent: sed et hoc hypothesin non adiuuat. Partim vero ex ingressu apparet, illa anno 1541. demum collecta et promulgata esse: vt adeo de significatione vocum ex temporibus compilationem C. C. C. antecedentibus deriuanda idoneum vix exhibeant testimonium, praesertim quum ex dispositione, quam locus a QVISTORPIO allegatus proxime subsequitur, vnde *schall in pinliken Fällen Keyserlicher Mayestat pintlik Gerichts Ordnung angesehen, veruolget vnde gehalten werden*, satis appareat, peruersam ingredi viam, qui C. C. C. ex his statutis suscipit interpretationem,

§. 7.

Expectasti procul dubio L. B. fore, vt scrupulos circa hanc materiam obuientes tibi eximam, et aegre fortassis fers, quod nonnisi in eo occupatus sim, vt doctrinam de homicidio proditorio ex omni parte incertam atque fluctuantem demonstrarem. Sed conciliare inter se aut cum legibus et principiis haud potui effata et opiniones Doctorum, quae tantopere a se inuicem discrepant, et omnes fundamento firmo desituuntur. Interim, quae hucusque dixi, abunde te conuincunt, te per deuia erraturum, si huic tramiti ulterius insistere velis, et via longe alia incedendum esse, si ad veritatem et certitudinem redire cupias.

§. 8.

Cuncta scilicet, quae recensui asserta, ad sequentia principia reuocanda erunt.

I. Duo tantum dantur genera homicidiorum ratione imputationis et poenae ordinariae principaliter distinguenda ^o).

Nititur hoc assertum clara dispositione art. 137. C. C. C. quem supra (§. 6. not. m.) integrum exhibui; et nulla adest ratio, cur ab hae lege expressa recedamus. Negari quidem non potest, dari plures gradus imputationis: sed quum impossibile sit, hos gradus in abstracto curate finire, et cuilibet separatam poenam ordinariam constituit, fatius erit, legem sequi, et, quoties in casu quodam insignior malitiae aut iusta excusationis causa reperitur, exasperationem

nem aut mitigationem arbitrio iudicis relinquere. *Distinctio homicidiorum in simplicia et qualificata, quam vulgo substituunt, et fundamento et vtilitate caret.*

II. *Circumstantiae facti, ex quibus qualitas homicidii proditorii vulgo deriuatur, in vtraque specie locum inuenire possunt.*

Probationem et limitationem iam supra (§. 5. not.) anticipaui,

III. *Eaedem circumstantiae, generatim et in abstracto consideratae, vix ita comparatae sunt, vt poenam ordinariam aggrauent, et exasperationi locum faciant,*

Veritas effati statim elucescet, si has circumstantias §. 2. specificè enarratas, singulas ponderes. Quis enim est, qui e. g. affirmet, omnes insidias poenam homicidii duriores reddere? Et si quis sit, cui nimio systematis amore ducto haec sententia arrideat, euoluat decisionum collectiones et videbit, illos etiam ICTos, qui homicidium proditorium a reliquis distinguunt, eiusmodi homicidia saepius poena solita puniisse. Aliter vero res se habere potest in concreto et in casu quodam speciali, vbi aliae circumstantiae concurrentes aggrauationem poenae exigunt. Haec exasperatio vero pariter locum habebit, licet doctrinam de homicidio proditorio insuper habeamus.

IV. *Superflua aequè ac difficilis est separatio homicidii proditorii a reliquis homicidiorum speciebus,*

Posterius iam satis euici §. 4. 5. et 6. Et in priori etiam facile omnes mecum consentire confido. Eam enim ob causam diuersas species segregamus et diuerso nomine insignimus, ut, quae cuique speciei propria sunt, eo luculentius exponere, eamque a reliquis cospeciebus eo melius discernere possimus. Vana vero est opera, si species ista, quam fingimus, a reliquis cospeciebus differentia, specifica quae dicitur, vere distincta non sit, nec propria habeat effectus et praedicata, quae discernere opus est. Haec contingunt in homicidio, quod proditorium nominatur. Nihil in eo reperitur, quod non in reliquis homicidiorum speciebus eodem modo se habeat: et, quamlibet notionem probare velis, nulla tamen ratione poenae erit diuersitas, nulla diuersitas in iis, quae praeter poenam iudici consideranda sunt. Optimo iure ergo superuacuum dici poterit, in eo peculiarem homicidii speciem quaerere.

V. Praestabit itaque, doctrinam hanc de homicidio proditorio in tractatione iuris criminalis delere.

Cui enim vsui erit, in eius explicatione tempus terere? Nihil certe ad perfectionem scientiae cuiusdam conducit, memoriam inutilibus distinctionibus et incongruis denominationibus premere: sed expediet potius, amputatis eiusmodi disquisitionibus infructuosis, reliqua faciliora, simpliciora et legibus magis conformia reddere.

- *) Exemptionem quidem praebere videtur veneficium; sed in reliquis casibus regulam firmabit.


Scripti haec, quum officii ratio postularet, ut sacra paschalia pie deuoteque transigenda pro more indicerem. Inter varia, quae Saluator noster nostri causa passus est, mala eminent mors eius, quam quidem in cruce subire oportuit, quam vero breui temporis spatio interiecto gloriosa resuscitatio, cuius hodie memoriam renouamus, insequuta est. Minimum sane, quod ei pro beneficiis in nos collatis debemus, erit, ut dies hos ipsi sanctos grata mente celebremus.

P. P. d. 31. Mart. MDCCLXXXII.





dies hos isti sanctos gratia mente celebramus
 quod et pro beneficiis in nos collatis debemus, et ut
 gratia repouamus, insequitur est. Minimus sane
 eto interfecto gloriosa relictis, cuius hodie memo-
 riam habet oportuit, quam vero breui temporis spa-
 tibus est, male eminet mors eius, quam quidem in-
 certum. Inter vna, quae Saluator noster nostri causa
 est. patibula hic denotatue transgenda pro more indi-
 ca. Siquid haec, quam officii ratio postulat, ut si.



P. P. d. gr. Mart. MDCCXXXII



1777

1777





ULB Halle
004 517 601

3



TA → OL **f**
nur 1+8 verknüpf





18


440

10

1782, 1.

DE
HOMICIDIO PRODITORIO

DISSERIT



ET


P. 440. SACRA PASCHALIA

INDICIT

IO. CHRIST. ESCHENBACH,

I. V. D. ET P. P. O.

ACADEMIAE RECTOR.



ROSTOCHII

LITTERIS ADLERIANIS.

